

quæ B. Musæus in peculiari Disputatione contra hanc demonstr-
tionem affert. Conf. B. Meisnerus *Phil. Sobriæ P. I. Sect. 4 q. 1.*

§. 9. Videmus autem (2.) Rationis etiam iudicio de
Mysteriis divinis patrocinari eos, qui expresse ea solent ex hoc
fundamento in dubium vocare, ac negare prorsus, quod cum
ratione, hujus principiis, præceptis aut placitis stare non pos-
sint. Hoc vero sese committere Calviniani, quia constanter
negant, quo jure quæve injuria id faciant, paucis videbimus,
quove suo merito B. Meisnero l. c. hoc iudicium extorserint:
*Idem hic in Calvinianis conspicitur, quod olim Diocletianus Philo-
sopho cuidam objiciebat, cujus actionem & professionem multum
distare dicebat, quia Professio & Philosophia ejus doceret, affecti-
bus abstinendum esse, ille autem nulli rei magis quam affectibus in-
dulgebat. Ita Calviniani monent ex principiis Philosophicis in
Theologia disputandum non esse, & tamen ipsi nihil magis quam hoc
ipsum in more habent positum, vereq; tales sunt, qui Philosophiæ
decempeda immensos religionis nostræ agros metiri præsumunt,
uti loquitur Scaliger lib. 1. de Plantis & exercit. ult. sect. 3.*

§. 10. Notum est illud Zwinglii pronunciatum: *DE-
us credenda nobis non proponit incomprehensibilia.* Marefius
*Syst. Theol. L. 1. §. 16. Rationis, inquit, usus quadruplex est in
Theologia concedendus; Arguendi, Inferendi, Conferendi & Il-
lustrandi. Tres posteriores sunt ministeriales & organici, prior
principalis suo modo & primarius; §. 19. quem (primarium scili-
cet Theologia) obtinet, non per modum organi quo, sed per mo-
dum mediæ ex quo Theologus arguit, sive necit argumenta, quæ
ratio ex proprio quasi censu promit, ut propugnet Ortho-
doxiam, vel Heterodoxiam impugnet. Hinc §. 20. de-
ducit hæc suæ Theologiæ fundamenta: (1.) nil in fide admit-
tendum, quod cum insito rationis dictamine nullo modo conciliari
possit. (2.) Principia rationis & Philosophiæ inservire accedendo
Spiritu sancto occasionaliter. Ubi posterius quidem præsup-
ponit, per fundamenta ac principia rationis ita illustrari posse
Articulos fidei, ut eorum cognitioni plenius à Spiritu sancto re-
cipiendæ aptari mens hominis irrogenita valeat: Prius vero
aperte Rationem Fidei normam constituit.*